

morum circulorum ad globi centrum fieri, & qua ratione in prop. XIII. datis omnibus trique globi lateribus, exquirat angulos per perpendicularum & bases, ut Rhetici more loquamur.

H. Dum in eam propositionem inquirebam, mihi trium laterum pyramidem construebam, & ad communes maximorum sectiones, demittebam perpendiculara, & de eius instituto, unum angulorum inquirebam.

P. Gebri inuentum, per totam Globi superficiem distrahit inquisitionem doctrinae. Sed Ioachimus totam doctrinam ad decem analogias, circa unum solum, cum angulo recto, globi triquetrum, reuocauit, ut eam paucis & certis metis includeret. Et hoc ipsum refert acceptum Logisticae compendijs, quae eum assuefacere, ut uitatis ambagibus, quam simplicissime recte uia insisteret. Verum neque ita sibi satisfecit, cum nobis alijs satisfecerit omnibus. Ideo occasione prima & XIII. propositionis, Triquetrorum globi Copernici, totam doctrinam triquetrorum globi, in pyramide triquetri globi exquirat.

H. Recte igitur candidatis Mathematicum consultum foret, ut his tabulis doctrinam triangulorum de sua sententia adiungeret.

P. Habet hoc consilij, ut clarum faciat hunc Canonem, esse, totius Matheseos thesaurum, & ostendat, si aliae tabulae desiderantur uniuersae, tamen hunc Canonem per se, nobis praeclearam copiam suppeditare, Mathematica studia tractandi. Ideoque duos libros de doctrina triangulorum instituit. In primo breuiter ea praeccepta complectitur, quae maxime usus quotidianus exigit. Secundum tribuit exemplis, desumptis ex praecipuis capitibus Geodesiae, Optices, Dioptrices, Meteoroscopices, Gnomonices, Geographiae, Astronomiae, Musicas, Mechanicas, & omnium doctrinarum, quae de Geometria & Arithmetica ceu fontibus promanant.

H. Triangulorum doctrina per numeros haec quidem omnia ei suppeditabit, sed quantum ex Problematis doctrinae primi motus Regiomontani uidere licet, pleraque tanta cum difficultate exquiruntur, ut per designationes lineares, ea incomparabiliter facilius perficias.

P. Hic in medio palmam positam esse ait, designationibus ne aliquis linearibus, an de doctrina Triangulorum per Canonem, eadem felicius, rectius & facilius perfecit. Sed ad rem redeamus. Horum scientiae $\tau\ \chi\ \xi\ \zeta\ \gamma\ \omega\ \nu$, de quibus dixi, tractatio, Secundo ut ostendi, continetur Triangulorum libro. At ipsa doctrina motuum, Solis, Lunae, & quinque errantium, & inerrantium siderum, in libris inaequabilium, motuum designatione hypothesisum doctrinae $\pi\ \rho\ \sigma\ \tau\ \upsilon\ \nu\ \alpha\ \nu\ \epsilon\ \lambda\ \iota\ \eta\ \theta\ \sigma\ \omega\ \mu$, Meteoroscopium prostapheresium, & prostapheresium tabulae longe clarius ostendent, quam magno conatu proferantur, magnae saepe nugae in equatorijs planetarum, & alijs huiusmodi pigmentis & organis, in quae plurimum principes & primates impendere consueuerunt.

H. Ergo tam in tabulis, quam designationibus, Geometricam tantum uiam sequetur, & illa aequatoria relinquet imperitis ac uulgo. Item scrupula proportionum, & omnia similia, quae excogitata sunt in subsidium uel imperitorum Geometriae, uel eorum qui à Geometrico puluere abhorrent.

P. Recte ratiocinaris Sed quid putas de centurijs tabularum equalium motuum futurum, quales plurimae teruntur manibus.

H. Hac in parte cum pulcherrimae usui inscruiant, non arbitror eum à communi schola-